

stitutos in doctrina, vniuerso ministerio esse, annexam conditionem poenitentiae. Sicut euangelium salutare est credenti, sicut baptismus est lauacrum regenerationis credenti, ita coena obsignatio est foederis cum corpore Christi his, qui ea beneficia fide accipiunt. Rata est igitur Christi institutio eo modo, quo voluit esse ratam. In hac tristi autem comminatione considerentur gradus delinquentium, et nostri accusatores in sese etiam descendant et se etiam, ne hoc reatu inuoluantur, examinent.

Contumelia fit Christo, cum profani accipiunt propter consuetudinem sine poenitentia et fide. Sed grauior contumelia est, cum sacramentum mutatur in idolum toto genere a sua natura diuersum. Sicut pontificij docent esse opus, quod mereatur remissionem peccatorum aliis, viuis et mortuis, conferunt in quaestum, proponunt panem spectandum et adorandum populo. Nec leuis contumelia est, quando populus iubetur ad ostensionem panis tanquam ad statuum regis Babylonici procumbere,¹³⁸ eo dirigere inuocationem, quo nimirum retinetur sub praetextu reuerentiae et pietatis in opinionibus idololatricis, quas profecto in plurimorum animis haerere cernimus. Et cum ad talia conueant aut etiam ea probent et stabiliant, quos par erat plebi meliores instillare sententias, cogirent, annon societate idololatriae polluantur. Certe seuerissimum extat mandatum de fugiendis idolis et alibi dicitur: „Ne communicates alienis peccatis.“¹³⁹ Adeo autem graue scelus est ista profanatio, vt propter haec peccata totae gentes magnis calamitatibus opprimantur et hi, qui non agunt poenitentiam, in aeternas poenas abiiciantur. Quare oportebat nos expergisci et serio de vero et salutari vsu emendatis et reiectis omnibus corrumpentibus cogitare. Nec vero hyperaspistae manducationis impiorum se tuebuntur autoritate antiquitatis. Manifestum enim est veteres nec sensisse aliud, nec stantibus veris fundamentis aliter sentire potuisse, quam quod ex mente Pauli iam a nobis recitatum est. Ideo docti et prudentes distinguunt inter sacramentum et rem sacramenti, inter rem terrenam et coelestem, atque concludunt incredulos sacramentum quidem, non vero rem sacramenti percipere, id est sacra symbola quidem manducare, sed non fieri eos membra Christi, sicut aperte inquit Augustinus: „Eum non manducare corpus Christi, qui non est in corpore Christi.“¹⁴⁰ Quod autem alibi dicunt, bonum corpus impiis malum fieri, manifestum est eos loqui de symbolis, quibus nomen corporis per metonymiam tribuitur, sicut etiam Paulus inquit: „Tales non discernere corpus domini.“¹⁴¹ Et cogitent, quod praesentia Christi sacramentalis accipienti semper salutaris est et distincta a praesentia vniuersali, qua damnantur, puniuntur et destruuntur impij, quae distinctio vniuersae huic causae lucem affert.

¹³⁸ Vgl. Dan 3,1–30.

¹³⁹ I Tim 5,22.

¹⁴⁰ Vgl. Augustin, De civitate Dei XXI, 20, in: PL 41, 734 (CChr.SL 48, 786,1–6).

¹⁴¹ I Kor 11,27.